

Lectoribus ordinis atqve
dignationis cujusvis,
illustribus benevolisqve, sa...

Lund, David,

82 Aa 16/3



National Library
of Sweden

LECTORIBUS
ORDINIS ATQVE DIGNATIONIS CUJUSVIS,
ILLUSTRIBUS BENEVOLISQVE,
SALUTEM ET OFFICIA!



Secundi sunt ab Æterno Numine Reges, & post Illud primi ante omnes, & super omnes Deos. Annuit Plato in suo labio: *ὁ βασιλεύς ὡς θεὸς ἐξ ἀνθρώπων*; id est: Rex, DEUS quispiam humanus est. Alius ex Jove esse Reges pronunciat. Quin & ipse Trojani Belli scriptor, arcè adeò cœlesti stirpi hanc innectit progeniem, ut & ipsam illius educationem, inde arcessat. Imò verò, consensu perpetuo, hoc fastigium ut excelsum & augustissimum, adorant Pagani, Christiani omnes, titulisque concelebrant splendidissimis. Hi quidem tantò solidiori fiducia, quòd ex Sancti etiam Spiritus institutione, tantam sublimitatem hauserint. Inculcant hæc animis mortalium, divinitatem quendam Principum, & immensam propemodum magnitudinem, simulque illos vel invitant, vel rapiunt in sui admirationem, cultum & venerationem subjectissimam, quum fieri nequeat, quin illud persuadeant sibi inusitato mentis humillimæ ardore colendum, quod ex conscientie convictione, didicerunt super humanam sortem quodammodo elevatum esse, & mortalitati exemptum. Ita cum auspiciatissima vicissitudine, videamus redire ac illucescere illam diem, quæ sacra est Natalibus SERENISSIMI PRINCIPIS, PRINCIPIS CAROLI, REGNORUM SEPTENTRIONALIUM HEREDITARII, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI; Constituit dictis impulsus stimulis, Adolescens Nobilissimus, NICOLAUS GEZELIUS, spei amplæ in corona studiosæ Juventutis flosculus, conceptum hinc intra devotum pectus gaudium, ipsi cum nobis omnibus commune, in solemnibus confessu, sermone panegyrico humillimè significare. Quippe hanc quoque, ad paterna decora feliciter contendens, servavit Reverendissimi Parentis, Præsulis ac Pro-Cancellarii nostri Eminentissimi, disciplinam, ut ad REGALIS THRONI venerationem, non minus provocaret alios quam seipsum. Progreditur adeo ex paternâ domo, ordine Quartus, in serie annorum continuâ, qui piensimo affectu, quam debemus omnes REGIÆ DOMUI subjectionem devotissimam, publicè interpretatur, eo alacriori mente, quod & sui ortus auspiciam nactus est illum annum, qui tanti PRINCIPIS nativitate, inexplicabilem attulit imperio Sveo-Gothico felicitatem. Statuit verò in Augustissimo hoc argumento, Oratoris partes obire, die qui est xvii Junii, hora octava matutina. Et quanquam nullus nostrum sit, qui arctoi orbis lucem aspiciamus, cui splendidissimi Sideris amœnissima Fax, ita non adblandiatur, ut sponte sua quicquid habet virium, ad profundæ debitæque subjectionis conferat documentum; me tamen voluit in præsentia hoc ipsum impetrare à Musarum PATRONIS & Cultoribus quibusvis, ut interposita invitatione submissa, officiosa & sedula; dicto tempore, in Auditorio Maximo, hunc Actum suâ præsentia illustrem ac celebrem reddere non dedignentur. Fas est omnino commendatissimo & ætatem superanti instituto, congressu frequenti allabi & applaudere, quod eò impensius expeto, quò certiori ex usu didici, mereri hanc promptitudinem, Virtutes & Eruditionem Politissimi Oratoris. Sed & salutis nostræ nos consulere convenit, ac communibus votis, precibusque ardentibus DEUM TER OPTIMUM MAXIMUM orare, ut REGIUM SOLIUM, robore, pace ac felici successu rerum, æternum beæ firmetque! Scrip. Aboæ die xvi Junii, A. M. DC. XCV.

DAVID LUND.



Handwritten signature or initials in the bottom right corner.

De la Roche

De la Roche

De la Roche

16/6 1695